Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3055

Quelle:
Copyright:



Scenam ult. ſpeciminis loco exſcribam: *Argumentum. Ad adorandum filium dei per ſtellam inuitantur Eoy.* Interlocutores *Stella. Aureolus. Thureolus. Myrreolus.*

Stell. *Nato ferte dei redolentia thura Sabei*

*Et iunctis Arabis Exotica plebs properabis*

*Aurum cum myrra tellus ſudabis eoa.*

Aureolus. *Quid parat hec ſtella.* Thur. *ſtupeo.* Myr. *lux iſta novella.*

Aur. *Hec nimis igneſcit.* Thur. *ſol cedit.* Myr. *luna faceſcit.*

Aur. *O quam candeſcit.* Thur. *frix pallet.* Myr. *laurus ebeſcit.*

Aur. *O quam ferueſcit.* Thur. *iouis horret.* Myr. *mars tenebreſcit.*

Aur. *Jamque magis creſcit.* Thur. *leo pallet.* Myr. *virgo tabeſcit.*

Aur. *Hec regem regum monſtrat.* Thur. *dominumque.* Myr. *hominemque.*

Aur. *Hic inquiratur.* Thur. *veneretur.* Myr. *nonne colatur.*

Aur. *Aurum ſumamus.* Thur. *ſeu thus.* Myr. *myrramque feramus.*

Aur. *Aurum ſit regi.* Thur. *domino thus.* Myr. *myrra hominique.*

Aur. *Stellam ſectemur.* Thur. *precedit nos.* Myr. *comitemur.*

Nihil Noſter aevo ſuo de tribus *Regibus*, qui, ſi *Onulphus* Monachus eſt, qui in vitam *Popponis* Abb. *Stabulenſis* autore *Everhelmo* apud *Bollandum* T. II. *Jan.* ad diem 25. p. 638. praefatur, ad medium Sec. XI. et Coenobium *Blandinienſe* prope *Gandavum* pertinet. Certiora dicent fortaſſe, apud quos integrum *Onulphi* Poema fuerit, de quo nil *Leyſerus*, nec, quod ſciam, alii.

VIII. *fol.* 31. *Incipit Prologus ſuper Commento Apocalipſis.* Sic: *Johannes apoſtolus et ewangeliſta a domino chriſto electus atque dilectus* &c. Initium ipſius Commentarii: *Apocalipſis iheſu chriſti quam dedit illi deus palam facere &c. Sciendum eſt quod Johannes apoſtolus et ewangeliſta a Domitiano principe chriſtianorum perſecutore. predicationis cauſa. in pathmos inſulam corpore quidem relegatus. mente tamen omnino ſolutus* &c. Prologus in *Bibliis Gloſſat. Hieronymo* tribuitur; Autorem vero Expoſitionis quamvis diligenter inveſtigatum non reperi. Anteceſſorum ſuorum teſtimoniis vix ullibi utitur, niſi quod ad C. I. *v.* 6. *Virgilium* excitari video:

*Bi-*